

**Dissertatio medica inauguralis quaedam de dyspepsia complectens ... /
eruditorum examini subjicit Franciscus Marchant.**

Contributors

Marchant, Francis, active 1800-1848.

Beattie, William, 1783-1875

Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Dun. Stevenson et Socii, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qtsb2e2q>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
QUAEDAM
DE DYSPEPSIA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS MARCHANT,

Anglo-Britannus,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOCIUS;

SOCIETAT. PHARMACOP. LOND. LICENTIATUS;

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Tibi quaerit inanes
Luxuries nocitura cibos; mihi donat inemptas
Terra dapes.

CLAUDIAN.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCIJ.

MDCCCXIX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

GRADUAM

DE DYSPEPSIA

COMPOSITA

QUAM

FRANCISCO MARCHANT

IN AUSTRIACA UNIVERSITATE MEDICA

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

IN AUSTRIACA UNIVERSITATE MEDICA

PRÆSENTAT

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

Publico Doctoris

SUMMUS IN MEDICIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

ORNI ET LEGITIMIS REVERENTIS

FRANCISCO MARCHANT

Anglicus, Barchinensis

COLL. REG. CENS. LOND. SOCIUS

SOCIETAT. PHARMACOP. LOND. LICENTIATUS

SOC. REG. PATR. EDIN. SOC. EXTRAORD.

FRANCISCO MARCHANT

LAUDIAN

Kalendis Augusti, hora horaria solenne

EDINBURGI

RECTORIBUS DNI. STEPHENSON ET SOCIIS

MDCCLXII

MICHAELI WOODCOCK, ARMIGERO,

CHIRURGO,

DE HEMSWORTH, IN AGRO EBORACENS.

AVUNCULO SUO CARO,

PROPTER BENEFICIA

NUNQUAM OBLIVISCENDA

IN SE COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM,

EXIGUUM TAMETSI, SINCERUM

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM,

D. D. C.que

FRANCISCUS MARCHANT.

MICHAEL WOODCOCK, A.M.

CHURCH

THE MEMORIAL IN A.D. 1812

ATTESTED AND SIGNED

BY THE

IN RE COLLATA

REVEREND FATHER

AND GRANTING

TESTIMONIAL

IN D. C.

FRANCIS MARCHANT

SPECTATISSIMO VIRO

JOHN DYMOND, M. D.

REI MEDICAE PERITISSIMO,

APUD BOLTON, IN AGRO EBORACENSI,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMAE OBSERVANTIAE TESTIMONIUM,

D. D. D.que

AUCTOR.

So heaven has formed us to the general taste
Of all its gifts ; so custom has improved
This bent of nature ; that few simple foods,
Of all that earth, or air, or ocean, yield,
But by excess offend. Beyond the sense
Of light refection, at the genial board
Indulge not often ; nor protract the feast
To dull satiety ; till soft and slow
A drowsy death creeps on the expansive soul.

ARMSTRONG'S Art of Preserving Health.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

SUBINDE ut affectus symptomaticus, saepe ut idiopathicus morbus Dyspepsia videtur. Malum est organa cibum protinus concoquentia imprimis afficiens; postea vero pro morbi progressu organa alia huic muneri inservientia adoritur. Plerumque actionum concoctricium potius quam structurae organorum eorum morbus habetur, quanquam diu protractus mala organica inducere potest, quod probavit dis-

sectione

sectio. Nemo negabit, quod si haec organa vitae et valetudini generali tam necessaria, multum perturbentur, quod totius corporis perturbatio huic respondens et aequalis fieri debet. Hanc ad sympathiam universam retulit Joannes Hunter, quae quidem multo existit manifestior in certis organis prae aliis perturbatis; nec tamen in ullis magis quam in ventriculo. Namque scriptor recens dixit: "When we consider that the stomach is an organ endued by nature with the most complex properties of any in the body, and forming a centre of sympathy between our corporeal and mental parts, of more exquisite qualifications than even the brain itself, yet the knife and eye of the anatomist do not discover the whole important station it holds in the economy; we must look to the living system for those nice connections of cause and effect, and that source of association which gives it a relationship to so many organs, both in the healthy and diseased state."*

Ventriculo

* See article Pathology in the Edinburgh Medical and Surgical Journal, July 1815.

Ventriculo tumultuante, totum corpus nervorum ope turbellâ participat, unde sensus aegro singulares, nec verbis facile describendi oboriuntur. In hoc morbo quem ne nomen deesset, nervorum vocamus, hi valde notabiles sunt, cum animi simul statu valde peculiari qui partem Dyspepsiae Idiopathicae constituere jure credatur. Haec tantum obiter in unum conjeci, ne ventriculi toto cum corpore consensum, *i. e.* corporis cum partibus ejus penitus omitterem : atque Joanni Hunter certissime laudes optimas debemus, propter ea quae de hac consensûs specie literis mandavit.

MORBI HISTORIA.

ACCURATE definire malum Dyspepsiam appellatum haudquaquam facile est, si pro morbo primario habeas, quum paucissima existant mala, quae non aliis aliisque modis ventriculi affectum prae se ferre consueverint. Difficilius
adhuc

adhuc multo erit omnia ejus recensere indicia; praecipua tamen, atque vulgatissima sequuntur. Appetitus cibi plerumque imminutus, nec tamen perpetuo, sed varie variis in aegris. Nonnulli enim statis temporibus cibum abunde et alacriter devorant, licet parum voluptatis inde percipiant; dum alii omnia cibi genera oderunt. Flatus, praesertim post pastum, molestissimus est; acor, cardialgia, nonnunquam nausea et vomitus adsunt, aut cibus jam devoratus frustatim iterum in os ejicitur, ubi nonnunquam, licet raro, belluarum more iterum devoratur. Ructus varius, crebrius tamen acidus cum sensu caloris; saepe quidem odorem hesterni cibi redolens. Alvi excretio nec colore nec foetore naturali, plerumque et copia minore. In nonnullis tamen ingentis irritabilitatis exemplis, stercora mollia et frequentia sunt, sic ut alimenta per intestina fere cruda transeant. Hoc fere fit, postquam ventriculus recentis cibi irritamine stimulatus fuerit.

Lingua arida est albida, aut sordibus onusta,
praesertim

praesertim dorso posteriore: quod signum mane evidentius apparet. Urina saepe turbida. Progrediente morbo dolor ex epigastrio presso percipitur, aeger plus per costas, minus diaphragma quam in statu sano respirari solet. Anxietas ingens vultûs etiam notabilis est. Talibus mens fere mobilis, salutem despondens, demissa: nec minus quam corpus ipsum fit ignava, et conaminis fere omnis impotens. Hoc morbi tempore, vel modica musculorum virium exertio easdem exhaurit. Inquietas noctem cruciat, aut somnus siquando veniat diris imaginibus perturbatur, sic ut e somniis subsilient nec quiete, ut decet, recreentur. Querimoniae saepe inter somnum praesertim nocte prima, nec raro ephialte infelix se premi percipit.

Capitis dolor nonnullus symptomaticus ferè adest in omnibus organorum concoquentium affectibus; aliis tamen omnino abest. In Dyspepticiis nervi brachii crurisque torpescere valde proclives existunt, tam interdiu quam noctu,

noctu, si pressio ex situ fortuito quamcunque levis his applicetur.

Haec signa sunt quae Dyspepsiam idiopathicum constituere considerentur. Sed ventriculus, per consensum solum, a partis cujusdam irritatione affici potest, ideoque alia inducat symptomata praeter haec jam dicta. Indicia sunt quaedam prae aliis organorum concoctionis perturbationem indicantia. Exempli causâ linguae conditio pro indice ventriculi male se habentis nunquam fallace habetur: sed dolendum est, gradum et speciem hujus perturbationis perrarò illâ indicari. Lingua utique in aspectu secundum ventriculi praesentem habitum, atque etiam eodem homine, diversis diei partibus, existit. Pendere has varietates ab excitatione reor, quae cibo derivatur; atque hujusmodi sunt, 1. Sordida lingua in dorso posteriore, praesertim manè; nam lingua cuivis manè adeo sordida videatur ut radendo opus sit, attamen per diem residuam speciem satis sanam ostendat. Quam ob causam necesse est

hoc

hoc membrum Aurora tantum inspiciatur ; quo facto morbum vel ipsis cunabulis detegere saepe valebimus, dum signa adhuc levia sunt nec difficulter removenda.

2. Lingua albescat, atque muco albido tegatur, neque ullam striarum speciem exhibeat, quum coctionis instrumenta turbarentur ab irritatione topica vehementi ; ut typho fit, linguam striatam atque nigellam saepius observavi. Nihilominus id rarò in ventriculi affectu Idiopathico accidit. Medicum Londinensem spectatissimum audivi praedicantem, se in ventriculum laborantem saepius incidisse, ubi lingua quasi caro crudus appareret. Hae praecipue sunt varietates quae semet diversis in aegrotantibus ostendunt, unde videretur, linguam variare aut a morbi natura, aut a corporis constitutione peculiari. Manifestum est ventriculi morbum manifestari per linguae conditionem, atque si judicari possemus ab hoc organo de morbi ipsissima natura, ventriculi *index* jure optimo

optimo vocaretur. Male tamen cessit, nos nondum hoc verè efficere posse.

Dictum jampridem fuit in brevi quam dedimus signorum historia, urinam saepius turbari, atque licet natura hujus secretionis sine fine variet pro aetate, anni tempestate, intervallo post quod cibus potusve ingestus fuerit, copiâ ingestarum, aliisque rebus non hic iterandis; certus sum, urinam turbidam raro non ab actione imperfecta partium quibus concoctio perficitur; atque saepe utilis sit index talis earum conditionis existentis. Notandum est, quod urinae qualitas multum afficietur statu generis nervosum dominantis, clare enim constat urinam, iis in exemplis quibus irritatio nervosa accidit vehemens, veluti in hysteria, copia magna ferri, atque pallescere. Ubi vero vires concoctrices vehementer perturbatae sunt, ideoque materia nondum assimilata vasis lacteis absorbetur, urina turbidissima est, colore atro, atque copia minore quam in sanitate fuit. Sed hoc aliquando

quando variatur, etiam in aegro eodem, qui ut observatur, modo plus solito urinae, modo minus excernet. Hoc explicari nequit, nisi per vim generis nervosi mutabilem, atque hic plus minus affectam, pro organorum concoctionis tumultu quem morbus praesens excitaverit.

Ut talis harum partium morbosa conditio rite investigetur, dejectiones alvi saepius scrutandae sunt, nam hae medicanti index quasi certissimus semper existunt. Aspectus varius admodum est, atque bilis genere ac copia pendere omnino videtur. Cum enim haec secretio obstruitur, faeces plerumque albescunt, cujus rei exemplum ostenditur infantibus cum bilis secretio cohibetur, a dentium irritatione necnon in ictero, contrâ, cum bilis secernitur in statu male sano vitiatò, faeces coloris sunt atrioris, aut etiam nigridi: nonnunquam virides apparent.

Color faecium naturalis flavidus esse dicitur, sed tinctura vehementer flava recentem et acceleratam bilis secretionem indicat, atque irri-

tationem magis quam aequabilem sanam actionem demonstrat.

Inter ventriculum aliasque corporis partes remotiores sympathia mirabilis intercedit, quam leviter tetigisse mihi lectorem condonaturum spero. Inter ventriculum et cerebrum mira intercedit consensio, adeo ut illius morbus, hoc perturbare soleat, atque vice versâ. Hinc fit ut nonnullis vel levissima ex victu levi parcoque deflectio, cephalalgiam immodicam excitaret. Ictus in ventriculum, ut omnibus notum est, vitam protinûs extinxit; at aquae praefrigidae subita potio eundem saepius induxit effectum. Narcotica quaedam in ventriculo accepta, hominis facultates stupefaciunt, imagines obscurant; verum stomacho ejecta vomitu tam sponte tam arte facto, haec symptomata illico evanescunt. Quum consensus adeo reciprocus inter morbos cerebri et organorum digerentium, fatendum erit, ut injuriae etiam illius, haec vehementer turbare poterint. Huic concussio vomitum, ut sequelam necessariam inducere solet. Cerebri compressio,

pressio, sive fractâ calvariâ, sive fluidis ex vasis profusis supervenerit, nauseam inducere solet. Nausea et vomitus saepe apoplexiam aut paralysem praecedunt. Denique si aliquem e syncope subito excitatum videmus ex usu stimulantium, mutuo id nexui inter cerebrum ventriculumque attribui debet.

Affinitas quoque insignis inter cor et ventriculum intercedit, adeo ut actio *prioris* parum regularis, saepe a *posterioris* morbis pendere videtur. Pulsus aliquando abnormis est aut intermittitur, ventriculo nimirum, saburra acidâ onusto : cujus inaequalitas cito cessabit, quando acidum correxeris. Gregorius auctor est, se quosdam novisse morbo cordis seipsos laborare misere timentes, licet nihil ejusmodi existeret, cum enim ventriculus ad salutem rediret, atque signa Dyspeptica evanescerent, cor ad sanam, solitamque actionem reveniebat. Ventriculus etiam flatu sic distendi potest, ut mero contactu cordis actionem vehementer afficiat, septo transverso nempe sursum contra apicem ejus compresso,

compresso, ideoque abnormem actionem intermissionem, nec raro palpitationem, inducente.

Notandus quoque consensus singularis qui inter ventriculum et pulmones consistit, tantus equidem, ut persuasum habeam, Dyspepsiam plurimis praenunciam esse et originem asthmatis, atque phthiseos pulmonalis, quae saepe originem ducunt ab irritatione diuturna imprimis ventriculi sed tandem pulmonum, nunc generalem irritationem participantium. In nonnullis exemplis ubi pulmones jam morbo laborare visi sunt, quandocunque vigor tonusque ventriculi restituti sunt, atque sanis secretionibus quoque auctis, revaluit aeger. “Dyspeptic symptoms are often produced in the incipient stage of pulmonary consumption, and subsist for a considerable time before any affection of the lungs is indicated, insomuch, that conversion appears to happen of Dyspepsia to phthisis. I believe the affection of the stomach, in such cases, is sympathetic, and affords one of the most intricate

cate examples of masked disease.”* Celeberrimus Joannes Abernethy incisiones eorum corporum quae phthisi morbisque organorum concoquentium, extingui apparuissent describens, haec verba habet, “ In these cases, both the history and dissection tended to prove the chylopoetic viscera were the seat of the greatest and most established disease, and that the pulmonary affection was a secondary disorder.”

CAUSAE.

DYSPEPSIAE natura est, cibos imperfectè et morbosè concoquere : quae materia parum concocta, ut venenum, certè ut res aliena in canalem alimentarium agere solet. Hoc imprimis a consuetudine prava quotidiana ingerendi cibum immodicum, qui ventriculum onerat et distendit, tam crebrò quidem, ut potestatem ejus omnino

* Ferriar's Medical History, vol. ii, page 46.

nò frangat, secretiones extenuat ideoque laedat; atque ad concoctionem inhabiles efficiat. Hinc cibi quantitas multo magis laedere quam qualitas intelligitur.

“ The stomach, urged beyond its active tone,
Hardly to nutrimental chyle subdues
The softest food; unfinish'd and deprav'd
The chyle, in all its future wanderings, owns
Its turbid fountain, nor by purer streams
So to be clear'd but foulness will remain.”

Armstrong's Art of Preserving Health.

Frequens plenaque cibi ingurgitatio crebra certe existit Dyspepsiae causa; quod si vetusto illi attenderetur minus sub hoc saltem capite peccatum esset: scilicet, “ adhuc appetenti a mensa abeundum esse.” Variæ aliae causae, sive in ventriculum ipsum agentes, sive in genus nervosum, Dyspepsiam inducant, quales sunt thea, caffæa, spiritus distillati, vinosa omnia, opium, tabacum, amara, aromatica, ista in ventriculum ipsum perniciose: utcunque lenta eorum sit operatio, pleraque tamen, ne dicam omnia, diu adhibita perturbationem organorum concoquentium generant.

Vinum

Vinum et *vinosa*, ab effectibus eorum stimulantibus et postea sedantibus, frequentissima Dyspepsiae causa existit. Actionem ventriculi imprimis vehementer excitant, quae excitatio postea debilitatur, viriumque depressione excipitur. In *hepar* et *ventriculum* potestatem suam praesertim exercent, sed aliorum quoque viscerum obstructions generisque nervosi universam perturbationem superinducunt. Haud mirum igitur, si *ebriosus* pertinaci Dyspepsiae fere condemnetur.

Opium et *tabacum*, certè narcotica fortiora sunt, atque cum eorum usu aliquis diu perseveraverit, magnoperè ad vires concoctionis evertendas tendunt, musculorumque vires minuunt: nec minus in genus nervosum operantur, mentis facultates infirmantia, tremoresque capitis et membrorum inducentia.

Quomodo *amara* et *aromatica* agant, haud facile explicatur: utraque tamen quotidie videbis eodem consilio ut *ventriculum* roborent exhibi-

ta.

ta. Usus tamen longus illorum contrarium omninò effectum inducunt. Amara fere spiritu aromatico conjunguntur, atque cum aliquis his se assuevit, fortiora in dies misceri desiderat, adeo ut tandem eodem redeunt ac liquores ardentes ingurgetati. Quin et usu nimis liberali ventriculus stimulo non naturali assuevit; atque consuetudine ductus non amplius muneribus propriis, nisi his stimulatus fungi queat. Cum tonica remedia indicantur maxima cum cautione regi debent.

Causae quae in ventriculum per genus nervosum operantur haec sunt, *1mo*, Omnes animi affectus deprimentes, veluti metus, anxietas, maestitia: aut, *2do*, Affectus animi vehementes, veluti amor violentus, ira vehemens: *3tio*, Mentis nimis intensa applicatio ut studium scientiarum difficilium et abstrusarum, talis inter mentem corpusque existit nexus, quod prioris immodica exercitatio, posteriori vehementer nocet, notissimum enim est mentis valetudinem ad corporis imprimis conferre. Harum
conjunctio

conjunctio poëtae precationem constituit :—
“ Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.”

Eo vero praecipuè nocet cogitatio nimia, quod vitam fere sedentariam inducat; atque etiam inquit Abernethius: “ The operations of the intellect become enfeebled, perplexed, and perverted; the temper and disposition irritable, unbenevolent, and desponding; the moral character and conduct appears even liable to suffer by these circumstances.” *

Quod mens in ventriculi munera operetur, hoc modo ostenditur. Sedeat aliquis ad mensam sanissimus; nuncius veniat nescio quod mali secum afferens, atque hoc audito, assidens extemplo cibi appetitu deseretur, ne bucceam quidem postea devorare valens. Haec res quotidie videtur.

c

Praeter

* See Abernethy on Disorders of the Digestive Organs.

Praeter has causas recensitas, aliae sunt quae Dyspepsiam superinducere tendunt; quales sunt frequens usus emeticorum, salivae defectus vel rejectio, cibus accescens, vita in aëre impuro transacta, Venus immodica; haec quidem organa cibum concoquentia vehementer afficit, genus nervosum debilitando, unde multum irritabilitatis producit, morbusque in forma gravissima se ostendit. Omnia denique ventriculum aut corpus universum debilitantia sive directè sive non directè Dyspepsiam producere tendent.

DE CURATIONE.

IN Dyspepsiae curatione, non amplius medicamentis roborantibus confiditur, ut ventriculus debilitatus, aut sympathiae nervosae eum comitantes ad sanitatem reducantur; atque saepissimè ea signa quae aegro molestissima atque maximè terrentia instanter cessant, causa irritationis primariae remota.

Praesertim

Praesertim igitur necessarium est, causam *perturbationis generalis* perquirere, eamque pro viribus remove conari; quo facto, indicia secundaria naturaliter decedent, modo visceris alicujus vitium, ex irritatione ventriculi diuturna, nondum supervenerit. In hoc morbo tractando considerari debent causae remotae: constitutionis corporis habitusque aegro peculiaris natura: malorum praesentium indoles et vehementia: sive pars quaedam aut totus canalis alimentarius afficiatur; atque sive separatim, aut simul malo plectantur. His igitur ritè perpensis nosmet ipsos de morbi natura ipsissima certiores faciemus: quo effecto, remedia licebit et seligere, et ei quod volumus consilio, cuique destinantur, accommodare. Praxeos nostrae directio, prout indicia semet aut ostendant aut postulent, nunc considerabitur.

Quum victûs errores, causae fiant Dyspepsiae frequentissimae, medicum, aegro sibi permissio, strenuè inculcare oportet, ut ea, morbo quo laboratur adeo infesta pro virili parte omittat.

Neque

Neque dissimulandum est, et malorum mitigationem, et sanationem permanentem ab ipso aegro maximâ ex parte pendere. Accuratum vero diaetae regimen haud facile tradi potest : cum corporis proprietates nonnullis sint tales, ut vel simplicissimus cibus irritamen fieri soleat.

Imprimis, cibus ex iis materiis constare oportet, quas facillimè omnium digeri experimentis cognoverit aeger. Dein, copia ne plenior sit, quam ventriculus ferre valeat, sine virium inutili jactura. Hoc nimium negligi omninò dolendum est : ac nunquam non morbum aggravare videtur. Prandere, contra quod mores hodierni ferunt, hora diei matura eum oportet ; nec nisi semel in die cibum sumere debet aeger. Lente admodum, et accuratè cibus manducandus et devorandus est, qui ex carne assa aut elixa constare debet. Caro ovilla, quippe quae facilius digeratur : paucula admodum ex regno herbaceo, necnon pultis aliquantillum ferè omnibus permittantur ; frustulo casei boni veterisque, concoctio nonnihil adjuvari solet. Melius est

est nullum cum cibo humorem devorari. Succus gastricus jam laesus et infirmatus fuit, atque liquores quilibet diluere nimium, viresque ejus solventes obtundere tenderent. Tertiâ post prandium horâ, aeger haustum aquae ex pane ustulato, aliusque liquores diluentis, ut decocti sarsaparillae compositi quod stomachi irritationem gratè compescere solet. Prandio considerato, de aliis cibi temporibus paucula dicenda sunt. Jentaculum melius ex cocoa quam theâ vel caffaeâ constat. Lac jam biduum natum cuique pars butyracea fuerit abstracta, alimentum praestat optimum, modo stomacho conveniat. Coena omnino evitanda: cum in homine saltem concoctio inter somnum parum accuratè perfici videtur: ideoque quicquid in ventriculum sub noctem recipitur, onerat, magnamque irritationem excitat. Glutinosa haud incommoda Dyspepticis reperiuntur.

Haec diaetae ratio exemplis mitioribus optime accommodantur, sed in gravioribus, ubi cibi celerrime putrescunt, herbaceos omittere, adque

adque victum animale rigidè applicare oportebit. Qualitas et quantitas hic iterum religiosissime observandae, nec inutili rerum varietate, ventriculus onerandus, quales vix aut ne vix quidem concoquendae, aut arte coqui a pristinâ simplicitate distortae, ingeri solent. Panis recens acidum quiddam ventriculo gignit, ideoque jam vetustiore utendum est, et tosto priusquam sumatur. Omnia liquorum fermentatorum genera evitanda, et aquae posthabenda nisi aeger vehementer sit debilitatus, quum vini rubri post prandium unus cyathus ei concedatur.

SIGNORUM QUORUNDAM CURATIO.

QUUM nausea et vomitus occurrunt, materiae acri ventriculum irritanti debentur : qua causa utile erit, vomitorium lene exhibere, ut ventriculo offendentia ejiciantur. Melius enim expellere quam corrigere, atque huic consilio ipecacuanha optime accommodatur. Sulphas

zinci,

zinci, tartras antimonii, semina sinapis albae, radix raphani rustici, anthemidis nobilis infusum, et alia, nonnullis exhibita sunt. Nausea vero aut vomitu adhuc manenti vomitoria minime repetenda sunt, sed alia remedia quae solaminis aliquid secum afferant, ut propinari oportet; ut haustus effervescens, cum vel sine pauculis tincturae opii guttis. Magnesia in aqua menthae piperitae, saepe utilissimè irritationem sublevat. Si ventriculus adhuc irritabilis sit, ac medicamenta rejiciat, enemata opiata infundentur, necnon vesicatorium super epigastrium. In mitioribus exemplis emplastrum calefaciens (D. P.) utile est, ob contrariam quam inducit irritationem. Si alvus adstricta sit, omnia remedia nostra erunt inutilia donec haec conditio amoveatur. Varia ad hoc remedia valent, atque curatio morbi felix cura quâ haec seliguntur maxime ex parte dependet. Sic autem temperanda sunt, ut secretionem inducant sanam, nec tamem corpus debilitent, quod nimis saepe fit in purgantibus medicamentis administrandis. Quin et debilitas in hoc morbo jam
existens

existens cautionem per se requirit. Nonnunquam et chylum jamjam nimis parcum praemature intestinis deverrunt, atque ita salina, quae totum afficiunt canalem, Dyspepsiae minus commoda reperiuntur, quam ea quae lentius in alvo solvuntur. Hujusmodi sunt pilulae aloeticae, pil. col. comp., pil. al. et myrrhae, pil. rhaei comp. aut haec ultima in pulvere. Quibus magnesia leniter alvum movet, optimum fit remedium cum duobus usibus inserviat, et acore corrigendo, et intestinis incitandis. Hydrargyrum pro medicamento alterante exhibitum, magnopere laudatum fuit : nec sine causa, quoniam ex eo certissime optimos vidi effectus. Formula erat grana v pilulae hydrargyi noctibus alternis. Saepe tamen nihil omninò alvum movet per se ; quamobrem si adjiciatur in auxilio quotidie decoct. sarsapar. compositi libra una, raro non aegro solamen insigne afferemus, praesertim si ad victum interim attendatur. Sin autem pilulae hydrargyi nimium alvum movere videantur, hydrargyrum cum creta substituatur.

substituatur. Nonnullis tamen parvula admodum hydrargyri copia excitationem generis nervosi nimiam inducere solet; in talibus igitur statim prohibeatur, ne signa dyspeptica aggraventur. Contrà, ubi hoc medicamentum prudenter exhibetur, nec aegrorum inimicum fit, actiones secernentes mire excitat; nullis vero magis quam iis quibus hepatis secretio defecerit.

Cardialgia, aut salibus alcalinis, aut terris absorbentibus corrigatur. Alcalina sunt aqua sup. carb. pot., aq. sup. carb. sod., carb. sod. exsicc.; qui quidem in pilulam cum extracto anthemidis nobilis, aut extracto gentianae formatus, exhibeatur. Acidum haec medicamina eleganter superant; necnon absorbentia ut carb. calcis, magnesia, aut carbonas magnesiae. Si alvus esset laxa, calcis formula indicatur; sin autem adstricta, ut saepius fit, magnesia, cum rheo atque zingiberis pauxillo, erit utilis.

Inflatio saepe molestissima evadit. Aromatica huic molestiae solatio sunt, sed pro tempore
D tantum,

tantum, nisi alvi actionem quoque moveas. Aromatica fere sint zingiber, coriandri, amomi repentis semina, canella alba, anisum, cinnamomon, et similia. Cum vero haec acria nimisque stimulantia, irritationem ventriculi praeter naturam, excitare tandemque Dyspepsiam aggravare solent, melius, si fieri potest, omittere puto. Carbonatem ammoniae, cum pauculis tincturae opii guttis, utilem haud semel inveni. Si molestia vix tolerabilis sit, sublevetur aethere sulphurico, aut tinctura aromatica ammoniata: caute tamen exhibenda, ne aeger in pessimam talium cupidinem decidat. Demulcentia quoque mala acoris sedare videntur.

Gastrodynia ad hoc signum mitigandum multa famâ efferuntur. Horum praecipua sunt opium, aether sulphuricus, aq. carb. ammon., tinct. assafaet. ammon., olea volatilia: opium effectum omnium certissimum edere solet, ideoque anteferendum; fomenta quoque calida solatium praestant, ut et exulceratorium super ventriculum admotum: quinetiam irritatio contraria dicta,

dicta, ope unguenti tartratis antimonii. Oxidum bismuthi nonnullis vehementer laudatur, ab effectu quodam specifico quem habere credunt. Gregorius se nunquam juvare saepe, vero laedere id se vidisse, testatur.

Vigorem roburque ventriculo reddere, varia parata sunt medicamenta, tam ex herbis, quam ex fossilibus. Medicamenta roborantia haud adeo multum in usu ac olim fuerunt, ideoque haud multum profutura judicarem. Exempla tamen nonnulla videntur quibus accommodentur, inque his exhibere licet. Cinchona dotibus probè amaris gaudet, variisque formulis propinetur, aliis remediis praemissis, sive in infuso, decocto, pulvere aut extracto. Mixture decocti cum carbonate sodae valde utilis est, atque extractum quoque, cum carbonate sodae utiliter conjungitur. Alia *amara*, ut cascarilla, columba, angustura, gentiana, quassia, propinari solent. Infusum cascarillae cum carbonate sodae, privatim fit utile, eo tempore quo medicamenta laxantia exhibentur. Variarum ferri formulae idoneae sunt; atque medici nonnulli hoc solo metallo

metallo fidunt ad Dyspepsiam curandam. Mixture Griffithiana percelebris, *i. e.* mist. ferri comp. est formula usitatissima, atque sine dubio effectus in corpora nonnulla, praesertim muliebria tenella, mirabiles induxit. Gregorius pulverem e carbonate ferri, columba, zingibere, compositum praecipere solet. Sulphas ferri, cum anthemidis nobilis extracto conjunctus, praeparatio satis elegans existit, si cum paucis olei volatilis guttis in pilula exhibeatur, quo facilius ventriculo insadat. Ventriculo flaccido et infirmo, acida praesertim indicantur, qualia sunt acidum nitricum, acidum sulphuricum dilutum, aut acidum sulphuricum aromaticum. Acidum muriaticum laude magna clarissimus Cullenus effert, ubicunque debilitas et relaxatio ventriculi adest. Balneum nitro-muriaticum nonnullis medicis multum laudatur, praesertim ubi hepar perturbatur. Utilitas hujus balnei nondum confirmata est.

But neither these nor all Apollo's art avail,
Unless with exercise and manly toils
You brace your nerves, and spur the lagging blood.

Robur

Robur corpori restituendum est exercitatione atque frigore admoto. Exercitatio corpus roborat, cum modica fuit, sic ut sudor, citrà tamen fatigationem moveatur. Consensus enim inter ventriculum corporisque superficiem ingens est. Equitatio praesertim utilis, cum viscera chylopoietica exagitet, actionesque promoveat; nec minus navigatio ob easdem causas proficit.

Dyspepticiis primo mane surgendum, prima nocte decumbendum: inter haec tempora victui sanctissimè animadvertendum est. Alia Dyspepsiae remedia sunt, frigus admotum, quod binis in modis fieri potest, aere scilicet aut aqua frigida. Aer frigidus exercitatione conjunctus roborantissimus ventriculo est. Balneum frigidum systema universum roborare bene constat vix minore potestate, balneum pluviale, atque in exemplis pervicacibus ad fontes medicinales clarioris nominis, mittere haud inutile erit. In Anglia isti sunt, *Bathonia*, *Buxtonia*, sed praesertim *Tunbridge Wells*,
quia

quia hujus aquae purae ferratae, effectum gratissimum inducere solent. Praeter vero beneficium quod ex aquis percipitur, mens variis rebus occupatur et exhilaratur. Exercitari quoque alliciuntur, atque ex toto vires renovatas ex aquis haustis adipisci apparent, si modo diaeta idonea quoque observata est. Nec minus Dyspepticos oportet ad vestitum attendere: pedes utique calidos, humore immunes conservare.

FINIS.